



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

B. Torrellus C. 16. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam redideret. Hoc viso animatus, cùm & fugam lapsæ, & redditum resipiscentis non malus vates ominatus esset, ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque urbem petit. Hic qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captatā in tempore occasione, quis sit, aperit, cur venierit, exponit. Tum verò verbis D eo plenis agreditur, & primò mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit. quid multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi, ais, columba capta? nempe gemuit. Ex vitiis PP.

*Deus ob ineffabilem misericordiam, Crucem propterea sustinuit; cur non & nos erga proximos justi simus, & agnoscentes eos ut membra nostra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis reducamus?* S. Chrys. in Gen. hom. 3.

## B. TORRELLUS C. 16. Martii.

**P**Etrum videre te alterum puta, cùm TORRELVM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, resipuit, & ex Veneris, cui meliorem ætatem devoverat, mancipio cæli delicium factus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit, LX. omnino annis inter silvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestis setosum porci corium, arma, quibus in se utebatur, catena ferrea, diliciæ panis & fons, cubile terra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omnino noctis lacrimis transcripsit, tunc etiam credo gallo

gallo expergefactus. Veneris flamas vel vepribus suffocavit, vel gelidâ extinxit. Sportulam lauantam unctamque cum Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui è manu Divi cœnavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cum lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eripuit enim hunc, pœnamque lupis omnibus illîc morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui redditum in patriam impetravit cælo jam receptus) cum Divi effigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cum lupo gremium premente præbuerit. Porro TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percuperes. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. Ex Ferrar. & Chron. Min.

Væ tibi, qui post lapsum fortiorum te nobis exhibes! Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. S.Bern. in F.SS.Pet.& Pauli.

## S. HERIBERTUS EP. 16.Martii.

**S**plendorem D.HERIBERTI, quo sive in aulâ Otton. Imp. III. sive Pontificatu deinde Coloniensi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriorem fecerunt radii, qui precantem persæpè cinxerunt, aliaque cum admiratione facta. Et forte cælum imbræ suos terris subduxerat, cum ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cum cælo Devs. Tunc etiam cuntem